...nes I.

...annis: Magno Heroi
Ioanni de Zamoscio — gratulatio.
1603.

MAGNO HEROI IOANNI DE ZAMOSCIO, REGNI CANcellario, Generalique exercituum Præfecto, Liuonia ex hoste vindicata, Cracouiam venienti, Gratulatio.

M. Joannis Clobucii in Academia Cracouien: Regii Professoris.

6.

CRACOVIÆ,
In Officina Andreæ Petricouij. A.D. 1603.

Gratulatio.

POLONVM NOMEN VNIVERSVM, Magne Zamoſci, etſi frequentibus alijs, recenti tamen victoria, toto terrarum orbe longè clariſsimum tibi iuſto, pio, victori, triumphatori, patri patriæ, cum omni genere lætitiæ, & triumphi: Comitijs centuriatis, domicilium florentiſsimi Polonorũ Regni, nobiliſsimam vrbem, ad rationem rei tantæ, tamque fæliciter geſtæ reddendam ingredienti, de tua ſuaq; ſumma fælicitate gratulabundum, obuiam eſt effuſum. Omnes vici, locique vrbis, cantu, carminibus, hymnis, tibiis perſtrepunt, tecta ignibus collucent, certatim omnis ætas, omniſque ſexus in tuum conſpectum ruit, diem aduentus tui conſecrat, rem geſtam cum admiratione recenſet, ore concelebrat, te vt optimum pacati toties regni Architectum, in cœlum vehit, omnia deniq; veræ gratulationis munera, ingenti ſtudio implet. Adeò omnium animos, in hoc illuſtri & magnifico tuo Cracouiam cum inſigni & triumphali pompa aduentu, occupaſti; vt nulli non argumentum de te cogitandi, tua fortia facta animo voluendi, præclara deniq; in Repub: merita, inſigni aliqua pietate remunerãdi, ſuppeditaueris. Iuuentus cùm te intuetur, redditos ſibi omnes, fama & litteris celebres, non ſolùm Polonorum, verùm etiam reliquarum gentiũ duces, exiſtimat. Senatus in te defixus faſtos rerum à te geſtarũ fieri decernit. Rex opti-

mus, cuius auſpicijs acta hæc ſunt, omnibus te ampliſsimis præmijs, tantam tuam in ſe ac Rempub: pietatem remunerari cupiens, ſtatuit cumulandum. Omnes inſuper ordines, tantas res per te patriæ, & inclyto huic Regno partas, omni pietatis & ſtudij genere coronant, te vt quẽdam ex annalium memoria, aut etiam de cœlo diuinum hominem admirantur. Fruſtra iam inuidus aliquos duces patribus noſtris memorabiles deſiderabit, omnium res geſtas non æquauiſti modò, ſed ſuperaſti. Cæteri namq; quos fama tenet, vel Scythis eiectis, vel Dacis repreſsis, illuſtre nomen ad poſteros dedêre, tua arma inuictæ quæque gentes ſensêre. Barbarus Scythes nũquam caſtra tuis caſtris auſus eſt opponere: inquieti Daci imperium tuum acceptauerunt, & æquiſsimo perferunt animo. Moldauo tot victorijs inſolenti & effrenato, non ſolùm victoriæ confeſsionem expreſsiſti, ſed mulctatum etiam principatu maximo, mãcipium ex tanto bellatore reddidiſti. Quid? nonne Turcus tuos ſucceſſus habens ſuſpectos, quamuis ire obuiam illis ſæpè cuperet, noſtra tamen arma ſemper declinauit? Nouit Auſtriacus, cùm inflato & ambitioſo ſpiritu, Regnũ Polonię inuaſiſſet, paratam ſibi prædam & expoſitam intelligens, quantis opibus, cum maxima gentis labe fuiſſet euerſus. Sed nec Sudermanus, infido animo in bellum contra ſuum Principem actus, expers eſſe poteſt tantæ tuę virtutis, qua ſe, tot iam rebus ademptis, omni ſpe potiundæ in poſterum Liuoniæ deturbatum, tantum non deſperare ſua coëgiſti.

Nam

Nam qui modò in luce ditionis Polonicæ, cum ſumma virium ſuarum iactantia verſatus eſt, is nunc in vltimas Sueciæ latebras fugatus. ex bello nullum alium fructũ, niſi ignominiæ & temeritatis (quando ſic rem cecidiſſe videt) refert, & ideo delendæ tantæ maculæ, & abolendi tàm inſignis in ſuum Regem ſceleris, omnes vias animo rimatur. Quod eſt igitur militiæ genus? quæ belli gerendi ratio? quæ arma tibi incognita? præſertim tot ex inuictis populis, partis victorijs, fælicitate nunquam interpolata. Nullus iam hoſtis Polonis poteſt eſſe terribilis, tot veteranis militibus, ſub tàm inſigni Magiſtro militiæ ſtipendia emeritis, & ad omnes ſubitos motus animo obfirmatis. Maiores noſtri, nullo diutiùs cum hoſte, maiore varietate fortunæ, ſæpiùs ſigna contulêre, quàm cum Crucigeris Theutonici nominis, ſed hic hoſtis quamuis potens, tamen domeſticus fuit, ideoque noſtris non multum formidabilis: at quos nunc ab omni parte Poloniæ hoſtes pertulimus, cum illis neq; armorum, neque belli commertio fuimus coniuncti. Quæ res tantam Imperatoribus adfert difficultatem, vt quæ à te nunc perfecta ſunt, non poſſunt non videri incredibili prudentia & in rebus agendis inſigni induſtria & dexteritate eſſe perfecta. Nam & bellorum & hoſtium varietate, & pugnarum numero, omnes ſingulis ætatibus claros in Polonia belli Duces viciſti. Nihil habet aduerſarius, quod in vllare, à te pro Reipub: ſalute & dignitate geſta, ſed maximè in hoc Liuonico tumultu, quem hoſtis Regni, per om-

 nes pro-

nes prouinciæ partes, tanquã calamitoſa quædam tempeſtas peſtiſq; excitauerat, reprehendere aut impudenter poſsit carpere. Quod vt intelligant omnes, repetam ab initio imminentia noſtris rebus pericula, quæ ſi vnquam ex alio vllo, certè ex hoc præcipuè bello, tanquam Hydra Lernæa, ſcaturiebant, quæ tu vtique nullo ferè ſanguine fuſo, nulla notabili pernicie militum, ab incolarum huius inclyti Regni ſalute, fortunis, ipſis denique ceruicibus ciuium depuliſti. Cùm enim perpenderes (quo es ſubodorandi cuncta Reipub: imminentia ingenio) belli illius molem maiorẽ eſſe, quàm vt vnius Ducis, & quidem tranſmarini opibus, & ingenio queat adminiſtrari, veniſti in eam coniecturam facilè, omnes ciuitates, omnes vrbes, omnes illi vicinas regiones, nobis propter amplitudinem rerum à te geſtarum, & Religionem infeſtas, in hoc tãquam ſacrum bellum, ſuas fortunas atque auxilia, ex omni hominum genere contracta, contuliſſe. Errat enim, vehemẽterq; fallitur, quiſquis putat, Carolum non antè omnia ſecum mente peregiſſe, quàm ad id, quod diu inquietus & Regni ſitiens animus parturiebat, proſiliret. Cernebat animo, quantam viciſsitudinem Religio, quæ tot ſæcula deprauatos mores in Suecia alebat, eſſet paſſura, ſi frequenti Sereniſsimi & Chriſtianiſsimi Regis in Sueciam aduentu, viri non minus docti, quàm Catholici, fædos circa Dei cultum ritus, animis multitudinis euellerent, ſibiq; aditum & ſemitam ad recuperandas cum ampliſsimis Sacerdotijs Eccleſias, ab iniquis &

male

malæ fidei poſſeſſoribus, tamdiu interceptas & detentas patefacerent. Hinc verò non ſolùm Sueticæ, ſed omnium finitimorum Regnorum nobilitati, tantus iniectus eſt metus, vt ad maximum nouandarum rerum conſenſum, nihil vltra requirendum foret, Dux ſe modò aliquis oſtenderet, qui publicam Religionis cauſam propugnandam priús ſuſciperet, quàm multitudo, vel in omnibus imitari ſuos Principes ſueta, moueretur. Certè enim plebs, ſicut natura maris per ſe immobilis eſt, vt venti & auræ cient, ita procelloſa. Inter has porrò curas, angebat etiam non parui momenti illa, quòd Regia ſoboles, in ſpem ſucceſsionis, Polonicis moribus educaretur, affectum cum Religione à primis crepundijs hauſtum, nunquam poſtea in hanc gentem, hancq; Rempub: omiſſura. Hoc enim naturam non obſcurè vnicuique indidiſse cernimus, vt natali ſolo velit cupiatq; quàm maximè. Adiecit ſtimulos cupiditas propagandi cum imperio nominis, obiectis tot magnificis ſpebus, quæ ex Liuoniæ ad Regnum Sueciæ acceſsione, oſtentabantur. Adhæc Liuones nunquam ſui fuiſſe diſsimiles, nempe quibus ſemper ex fortuna penderet fides, ideoq; nobis occultè inimicos, ſibi amiciſsimos. Qua opportunitate vti ratus, præproperè claſsem, quàm ornatiſsimam & maximam poteſt, inſtruit, in eamq; milite, cum omni impedimentorum & commeatus genere impoſito, ſine nuntio, ſine fama, ſine rumore, indicta cauſa, Liuoniam inuadit, & quàm longè, lateque poteſt infeſtis armis populatur, obuia

quæque

quæque expugnans, terrore omnia complet, arces, quibus regio & arte, & natura loci perquàm munitisſimis frequens eſt, aut deſertas occupat, aut proditas recipit, præſidiiſq; in ſingulas impoſitis ex voto, tanquam Annibal in Campaniæ, ſic ille in Liuoniæ ſeceſſu, deliciatur. Cernere erat, in ſubita conſternatione, quantum valeret celeritas, quæ tanquam aquarum vis, ni aggerem obijcias, euagatur ſpacioſiùs, lateque dat exitium. Non dico quid acciderit, eorum enim præcipuè culpa, quos incendium hoc proximè ſequebatur, putandum eſt accidiſſe, qui ex otio, ſecuritate nimia improuidi, cum debuiſſent, non ſatis in tempore, ſuæ commiſsis fidei ſuccurrerunt. Noſtra verò quæ ibi ad præſidia Caſtellorum agebat nobilitas, quæcunque in poteſtatem hoſtis venit, omnes intolerandos patientiæ humanæ cruciatus, quos modò inhumana ſuperbia, & inſolens crudelitas edere potuit, eſt perpeſſa. Porrò in eos, qui Romanam Eccleſiam ſacrorũ omnium ſedem ac caput agnoſcunt, vſque adeò ſæuitum eſt, vt eorum ploratus in Polonia exaudirentur. Ad nuntium tantæ impreſsionis, cùm cæteri vel periculum propter ſuam ſecuritatem non intelligerent, vel ijs, quæ ex Liuonia nuntiarentur, fidem abrogarent, tu Magne Zamoſci, primus aures arrexiſti, & quaſi bonus gubernator, de cœlo tempeſtati ſeruatæ adeſſe iam tempus perſpexiſti. Ad quam auertendam non incantationibus, quæ timidam curioſitatem, ſed virtute, quæ generoſum arguit animum, vti decreuiſti. Nam legionibus

nibus

nibus veteranorum ex Dacia deductis, delectuque iuuentutis per agros raptim habito, & sacramento à Tyronibus exacto, quàm maximis licuit itineribus, ad hostem contendisti, & famam etiam prægressus, in Liuoniam venisti. Non dicam hoc tuum iter, quo hominum concursu, ex omnibus locis ad te confluentium, est celebratum: Ibas enim inter vota ac preces, famaq; ipsa bellum conficiebas, cùm vniuersi Deum precaremur, vt tibi faustum iter, felixq; pugna, matura ex hostibus victoria, eueniret. vt te post paucos dies, ouantem victoria, reducem in patria videremus, vt tibi talis triumphus contingeret, quo cæterorũ omnium memoriam; quos aliquando reportasti, adæquares. Quæ studia profectò remorari quẽuis possent, & ocissimè euntem, hæc tamẽ tu nunquam in teipso pluris, quàm Rempub: fecisti, non ad blandas assentationes: sed ad opera virtutis ardua & operosa genitus. Quibus quidem tractãdis & efficiendis, haud aptus fuisses, si non ad omnia summa & incredibilia, heroica tuæ mentis indoles te finxisset. Venisti igitur, & hostis consilia, quàm euentum haberent, occupasti; sed non sine animi tui molestia maxima, quòd priusquã exercitus in vnum locum contraheretur, & machinæ, tormentaq; bellica aduecta sint, prior æstas se circumegisset, frumento ex omnibus pagis, partim ad hostes comportato, partim in cryptis subterraneis abdito, & pabulo omni propemodũ corrupto. Cuperem perpenderẽt secum, quos domus ab omni rerum copia nusquam dimisit, & fames miserrimum

mum calamitatis genus, quodq́; feras etiam in rabiem agit, ne attigit quidem, quantæ patientiæ exempla miles, integris in Liuonia hybernis edidiſſet. Pyrrhus quondam EpyrotarumRex bellicoſiſsimus, patientiam Romanorum militum & magnitudinẽ animi miratus, exclamaſſe dicitur: O quàm facilè fuit, vel Romanos me duce, vel meRomanis militibus, de totius orbis imperio contendere: at hic ipſe miles non multis elapſis ſæculis, IulioCæſari cõmeatum procraſtinanti conuitium grande fecit, tantumq́ue manus non attulit. Quid ſimile in noſtris militibus, & in noſtro Duce, cuius quanta ſit moderatio & prudentia, tumultus hucuſq́ue nunquam auditus, decimationes ne cognitæ quidem, teſtes eſſe poſſunt: quorũ malorum ſummi etiam belli duces haud erant immunes. Age verò hyemis quantam illa regio fert inclementiam, quis hominum tãtam ſine tecto, ſine lare, ſine foco pertulerit? pertulerunt noſtri milites. Videor mihi videre grauius certamen, & acerbiorem luctam noſtrorũ militum, cum ingenti frigoris vi, quàm olim exercitui Hannibalis in tranſitu Alpium, fuiſſet. Quid enim ſimile niues Alpinæ cum glacie Liuonica habent? Hæc vtique quanta virtute milites, amore patriæ inflãmati vicerunt? Nemo queſtus eſt ſibi peruſta membra, quamuis niue ac gelu rigerent. Nemo ab igne remedium quæſiuit, quamuis illuuie ac ſquallore enectus. O inuictam patientiam! ô virtutem indefatigabilem! Eſtné veriſimile, aliquid eiuſmodi viris obſiſtere poſſe, quos neq; fames, neque

frigora

frigora à propoſito in patriam amore auerterunt. Muriné, aut arma, aut propugnacula erunt tàm firma, quæ tanto animi & corporis robori queant opponi? Rex Alexander generoſi homo ſpiritus, ſuos milites his verbis ad virtutem acuere ſolitus eſt. Nihil tàm altè poſuiſſe naturam, quò virtus euadere non poſſet: At hoc milites noſtri, exemplis & rebus meliùs præſtant, nec ſui ducis, niſi nutum deſiderant: Laconicum illud ſemper in ore habentes: Nos iuuenes ſumus & fortes, idque ſi libet experiamini. Enimuerò quomodo boni milites eſſe poſſunt, niſi adſit qui regat optimus? Nam certè niſi ducem optimè in patriam animatū miles intelligat, quî ipſe ſuſcipere periculum, & aggredi pro patria volet? Sed Imperatoris & militum harmonia, tantum habet ad res perficiendas momenti, vt nullum tàm validum ſit imperium, nullę vrbes tam inexpugnabiles, nulli tam potentes Tyranni, nullæ vires, quæ non ſuccumbant, aut cedant, tanquam fato ingruenti. Non poſſum cùm hæc cōmemoro, tamen non commoueri, cùm audio tantam in equis & iumentis noſtros cladem accepiſſe, quanta neſcio an vllo in bello accepta ſit: quam vtiq; illi modò non ingratum præſtarent patriæ obſequium; alto & excelſo animo contempſerunt, digni equidem, quos pro eorum in Rempub: ſtudio, omnia præmia conſequātur: vt qui ab Imperatore ſuo, ne morte quidem tantùm abeſt damnis auellerentur. Non eam fidem Sylla Romani exercitus expertus fuit Orchomeni; ſed noſtrorum fides, nunquam Imperato-

 ribus

ribus ſuis nutauit, quod ingeniis militum, an fælicitati ducum ſit tribuendũ relinquo in medio. Illud latet certè neminem, ſingulari te Magne Zamoſci, tractandi & emolliendi feroces, & contumaces militum ſpiritus, arte præditum eſſe, qua Vlyſsi etiam ipſi, atq; Neſtori videris exęquandus. Quoties enim militum coitiones periculo pleniſsimas, verbo ne dicam nutu diſsipaſti? Quoties à ſeditione ad obſequium retraxiſti? Ingens hæc eſt, & neſcio an vlla maxima virtus Imperatoris, quam in Germanico ſuo Tyberium Principum Romanorum prudentiſsimum, deſideraſſe accepimus. Totam ego amori tuo acceptam fero, namque niſi eſſes amabilis, hanc authoritatem, ne maximis quidem in milites meritis parare tibi potuiſſes. Multis Imperatoribus ſolus amor militum & victoriam ex hoſtibus dedit & imperium aſſeruit, at tu hac in parte nequaquam illis es conceſſurus. Neſcio enim an vnquam alibi magis amor militũ in te, quàm in Liuonia valuit: Namq; licèt ab omni rerum inopia eſſent irritati, tot tamen arces, caſtella, propugnacula, ab his expugnata quis non ſingulari illorum in te amori tribuat? Recuperatam incredibili virtute & magnitudine animi Liuoniam, iuri ſuo reſtitutos omnes incolas, nonné amor loquitur? Magnum Hannibal amorem ſui exercitus, & quidem ex diuerſis contracti gentibus, concordiam rarò tuentibus; cùm Alpes perforaret, & montibus bellum inferret, approbauit: at noſtro exercitui, tui, Principis, & patriæ amore deuincto, arces munitiſsimæ & hoſtium

hostium præsidijs tutæ, commeatu in longum tempus instructæ, Punicis etiam ingenijs fretæ, resistere haud potuerunt, quamuis cum ipsa rerum natura esset pugnatum. Tanta enim opera, tamque subitò sunt perfecta, quanta vix vllus alius adeò breui & alieno tempore, nisi Polonus miles perfecisset. Non tantùm Alexandro Tyrus & Scipioni Carthago oppugnatæ negotij dedêre, quamuis terra mariq; res gereretur, quãtùm tu apud Cochenhausum, Vesemburgum, Felinum, Bialocamenum difficultatum & periculorum exhauseras. Hîc enim verisime illud dici docuisti: Quæ naturâ impedita sunt, consiliũ & virtus expediũt. Namq; nisi Imperatorijs artibus hîc essent gesta singula, nisi prudẽtia in omni re valuisset, nisi cõsilio omnia fuissent administrata, diutiùs ibidem quàm olim ad Troiam, & propter propugnantium dexteritatem, & loci ingenium, fuisset nostris perferenda obsidio. Quis enim crederet, ad Bialocamenum natura aditum negante, milites nostros peruasuros? peruaserunt nihilominus, à te itinere inuento. Celebratur opus Traiani per Istrum: de tuis verò operibus, quæ ibi monimenta rerum à te gestarum extabunt, sempiterna, posteritas conticescet? Mitto superãdum nostris fuisse locum vligine profunda, ad gradum instabilem, procedẽtibus lubricum, graui cæno tenacem, paludibus refertum; huius tu voragines, non arboribus, sed syluis iniectis expleuisti, & pontibus superstratis, naturam etiam industria vinci posse ostendisti. Cernere ibi licuit, incredibilem mili-

 tum gra-

tum gnauitatem, æmulationem incomparabilem, certamen cum hostibus dextrè propugnātibus maximum, mortis contemptum, inter telorum & iaculorum nymbos obstinatum: cùm alij forti potiundi desiderio, quod semel essent aggressi, in vulnera ac ferrum, tanquā cœci furore ruerēt, alij in gratiā Ducis, vbiq; præsentis virtutis cuiusque spectatoris, equis desilirent, & peditum alis se immiscerent, ne tribunis quidem militum à discrimine & periculo feriatis. Adeò nullus fuit, cuius virtus per vulnera non ad immortalitatem tenderet, quæ multò etiam magis interitu honesto solet virescere, tantùm abest vt marcescat. Cessêre ergo virtuti obsessi, seq; cum arce dedidêre, nec tàm munitum quicquam fuit, quod periuris satis tutum receptum daret: nec vsquam magis quadrat illud Homericum: Successu mala facta carent, celerem quoque tardus Assequitur sortem vindex. Nolo de infinitis clementiæ & humanitatis tuæ in victos exemplis, orationem instituere. Nemo est enim, qui te Christiani sanguinis vnquam sitientem fuisse audeat profiteri, cùm etiam iusta bella abhorreas, & priùs omnia consilio quàm armis experiri studeas, quod vel in hoc bello nemini obscurū esse potest. Siquidem omnes captiuos, quantum Reipub: rationes ferebant, Penatibus suis, & quidem Pyrrhi more reddidisti, omnibus veniā, sine vllo deprecatore concessisti, nulli ne minimum quidem mortis metum obiecisti. Quod equidem qui facit, non summis viris comparandus est, sed simillimus Deo iudicandus.

candus. Cùm itaque ſis iam tantus, vt nemo tecum, non ſolùm bellica, ſed etiam togata laude, queat certare, cùm (inquam) ſis virtute, fortuna, gloria, rebus geſtis ampliſsimus, eritné quiſpiam tàm agreſtis, tamq; inhumanus, qui non ex animo tuæ immortalitati faueat? Certè quamuis vellet, non erit tamen, tàm immemor poſteritas, non erunt tàm ingratæ litteræ, quin rerum à te geſtarum gloriam ſempiterna memoria proſequantur. Euaſimus ſæpenumerò tuo beneficio, ſtudio, amore, grauem temporum maculam, quo nomine tibi gratulamur, nobis verò gaudemus. Heroica tua facta, quorum amplitudine, id iam conſequutus eſſe videris, vt te remotiſsimæ etiam gentes ament, & ſuſpiciant, non trophæis, ſtatuis, monumentis, quæ ſingula conficit vetuſtas, decorabimus, ſed faſtis ad omnem æternitatem inſcribemus, carminibus, panægyricis ad poſteritatis memoriam tranſmittemus. felicem patriam, quamdiu te ſaluo & incolumi gaudebit, miſeram, quando carebit, dicemus. Nam quod viuis, quod viges, id vitale ipſi eſt: Nunquã ſatis illi viues, etiamſi omnia ſæcula impleueris. Viue proinde decus patriæ, vindex Reipub: dignitatis, aſſertor Sarmaticæ gloriæ. Oramus Deum, vt te, tuumque filiolum, ſumma ſpe, ſummoque ingenio puerum, ad gloriam patriæ magis ac magis amplificandã feliciter conſeruet, vt ab his malis recreata, in deſideratá, tuiſque ſudoribus parta quiete, diu læta conquieſcat.